



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Declaratur illud (de conjungatis.)

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT VIII.

De Ieiunio.

1. BARON. VII. **A** Ieiunij leg. eximit omnes artifices, & ferre coniugatos.

Parcius isthac, Baroni. Omnes artifices? coniugatos scilicet omnes? Certè nimis audacter loqueris. At, ne ita loquaris, lege, quoad Artifices, unum verbum, quod addit Tamburinus, & tuam exaggeratam hyperbolem agnosces, te ipsum pudebit in posterum dicere (omnes) D. Hieronymus in Dialogo contra Iulianum. Hanc igitur hastam (inquit) quam totis viribus misisti de qua nobis minitatis, uno, (ut aiunt,) digito repellam. Simili quopiam dicendi colore effera ego. Hanc hastam, quam misisti, &c. uno dumtaxat verbo repellam. Et quod tandem illud est? En (Laborantes) legamus Authoris doctrinam de Artificibus; nam mox de coniugibus.

2. TAMB. NUM. 18. Officium, seu Ars ait lib. 4. in Dec. c. 5. §. 7. n. 18. Iam quis exercet, si sit ex se laboriosa, hominem per se liberat à Ieiunio. Ita DD. citat, & possit. Et ita quidem, ut etiam in illo exercitio quis inueniatur, posse tolerare Ieiunium; adhuc ad illud non astringitur. Ex declar. Eugenij II. anno 1447. in Comp. Privil. Fratrum Minor. ver. Ieiunium num. 2. apud Fag. p. 1. Eccl. 4. l. 1. c. 8. n. 15. quia semper aspiciunt à lege id, quod est communiter, & per se. Quare posito quod lex universaliter omnes à se laboriosam excoercentem excludit, non erit hic includendus. Adde rationem, quia laboriosis artibus vacantes, frequentè indigent refectioe, ne in debilitatem, quando minus putant, labantur. Hinc Arator, etiam volutus, patientissimèque media (contra Reg. l. 4. c. 16. n. 216.) imò etiam ditissimus ex declarat. cit. non tenetur ad Ieiunium, quia per se omnes Aratores excusantur? Et, ex alia parte Ecclesia non intendit privare fideles suo officio, modoque vivendi. Præterea, quamvis exercitia ex se non laboriosa obligationi Ieiunandi subiacent; tamen si quis ita sit debilis, ut suum officium aliis leve, ipsi sit laboriosum, à Ieiunio, per accidens, hoc est, ratione sue complexionis, excusabitur. Ita Th. Sanch. in conf. l. 5. c. 1. dub. 6. n. 8. Reg. loc. cit. n. 219. quia Mater Ecclesia cum tanto dispendio obligare fideles non intendit. Hinc Scripserunt v. g. obligantur ad Ieiunandum; quia scribendi officium levis est laboris, & fortè modice Ieiunans, melius scribet ac facilius, quam cibo refectus; tamen si cui Notario ita laboriosa succedat scriptio, ut sine duplici refecti ne suum munus obire nequeat, certè excusabitur per accidens ratione sue complexionis.

3. Hæc doctrina ante oculos in tota hac materia per diligentem habenda est. Et enim frequenter, ut in aliquo Doctore invenias, excusari quempiam à Ieiunio, sed per accidens, tu vero credas excusari per se, regulamque ad omnes alios minus legitime deducas. Nudius tertius fuit, qui referret, quendam Theologum non vulgaris literaturæ excusasse à Ieiunio hominem, equo iter agentem; addebatque Theologus (ut idem referebat) rationem, quia succussus equus ita male hominem trahat per integros dies, ut satis laboriosum fuisset illud iter equestre. Quibus verbis clarè excusatio per accidens fuit, non per se, ille tamen, qui solutionem narrabat, acriter contendebat, Theologum in ea esse sententia, ut iter equo agentes excusandi sint à Ieiunio. Cumque ego inculcarem eiusmodi excusationem nequaquam esse universalem, sed tali peculiari persona addictam fuisse, nunquam constans vir veritati manus dedit. Deus immortalis! quantum refert non apicem rerum aspicere; Sed interiora eorum viscera penetrare?

4. Si quæras, quam sunt officia ex se laboriosa? Dico ea esse, quæ exercentur cum magna agitatione membrorum corporis, tunc enim multi spiritus consumuntur,

unde & ciborum auxilio opus est, & inedia, quæ magis corpus exedit non est addenda.

Porro plura sunt exercitia clarè laboriosa, plura denique, de quibus qualia sint, dubitatur; suo igitur ordine breviter singula delibemus, &c. Hæc omnia Tamburinus.

5. Quid hic mea notatione sit opus; cæcus intuebitur, quia enormitate fallum sit, à Tamburino omnes artifices à Ieiunio liberari, sed veniamus ad Coniuges, & videamus, an fallacia aliam trudit.

Declaratur illud (de Coniugatis.)

6. TAMB. NUM. 37. Coniux non raro (inquit ibi. n. 37.) excusatione ducta ab ipsa conditione Coniugij, liberatur à Ieiunio.

Liberatur autem primo in eo casu, quo non possit alteri reddere debitum, si Ieiunet. Ita D. Thom. S. n. b. lib. 9. de matr. d. 3. n. 10. Lessl. c. 2. n. 44. Ioan. Sanch. d. 54. n. 25. alij. Ratio est, quia ius Iustitiæ prævalet præcepto. Ecclesiæ, nolentis cum tanto rigore Ieiunium. Ita Ledesma p. 2. quæst. 4. art. 2. vers. Ex prædictis colligitur; quia faceret contra ius alterius, dum ad reddendum illi debitum, se notabiliter impotentem reddit. Tunc autem hic casus locum habet (quando coniux notabilem debilitatem contraheret ex eo, quod cum Ieiunio debitum redderet. Debitum, inquam, moderate ab altero petendum, quæ moderatio attendenda est, spectata qualitate coniugum; iudices enim, fortioresque sapius, fines, imbecillioresque rarius matrimonij uti convenit. Cum ergo quid non teneatur reddere, nisi iuxta qualitatem suæ complexionis, ad quod solum, & non ad amplius virtualiter consensit coniux, cum matrimonij contraxit; ideo solum tunc debitum coniugum coniugem à Ieiunio immunem reddit; quod si precibus, aliove modo posset coniux removere alteram à petendo debitum, adhuc tamen non teneatur uti hoc remedio, atque adeo possit non Ieiunare, & sic reddere. Ita Thom. Sanch. loc. cit. Ratio est, quia personalis obligatio est ex Iustitiâ, quæ non obligat, nisi ad reddendum personaliter debitum non vero ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat.

7. Negligi item Ieiunij præceptum non potest, ut potentior, seu etiam ut potius quis sit ad petendum debitum à coniuge. Ita Thom. Sanch. ibid. quia solum obligatio Iustitiæ reddendi debitum excusat à Ieiunio, at coniux non habet obligationem Iustitiæ petendi, sed solum reddendi debitum.

8. Scio quendam concedere solutionem Ieiunij ei coniugi, qui nisi comedat, est ineptus ad petendum debitum moderate; quia sicut faber dives, inquit, ne suum officium, ad quod ius habet, deserat, potest laborare, & consequenter non Ieiunare; Sic coniugatus, ut suum officium usus matrimonij, ad quem ius habet, non amittat, poterit non Ieiunare, non quidem ut sit valentior, & potentior ad extraordinarias copulas, sed ut sit potens ad petendas copulas moderatas ad quas ius habet. Verum nulla ratione placet hæc concessio, non solum, quia ferè sic omnes coniugati liberarentur à Ieiunio, siquidem pro omnibus est illud sine Cerere, & Baccho friget Venus, idemque possent coniuges prætere, quoad comestitionem carniæ, quod cerè esset inauditum; verum etiam, quia cum usus matrimonij quoad petitionem sit liber in coniugibus, prævalet lex Ieiunij, quæ est obligans. Sicut quia fideles omnes tenentur interesse Sacro diebus Dominicis, non potest quis excusari ab illo, quia vult uti sua libertate, quæ se conferat iisdem diebus Dominicis ad verendum, & sicut quia Sacerdotes omnes tenentur recitare Horas Canonicas, non potest quis aliquem Sacerdotem excusare ab illis recitandis; quia id vult uti sua libertate, quæ Brachiarum suum projiciat in mare. Et ratio eorum omnium est, quia idem præceptum, quod obligat ad finem, obligat etiam ad media proxima, & necessaria ad illum, & ne tempore, quo præceptum urget, ponantur impedimenta voluntaria ad eius executionem, ut alibi à nobis dictum est.

T t 4 Nequa

Neque obstat paritas ducta ab Artifice divite: quia lex ieiunij absolute non obligat opifices laborantes: Unde non est mirum, quod eisdem non obliget, si divites sint, p. r. accidens enim est eos esse locupletes; at lex ieiunij obligat etiam per se coniuges: unde ij ob solam rationem coniugij, nisi alia addatur excusatio, dictam legem à se non possunt excutere.

9. Illud approbo, si adveniat coniux periculum incontinentie in alio, posse petere, etiam si, ut petat, opus sit ieiunium frangere, quia tum illud periculum aequivaleret petitioni, & petitio huius redditioni, & quam urget iniustitia ratio. Idem puto (non enim absimilis est ratio) si, nisi petas, ingeras malam suspicionem in altero, quod adulteraveris; vel aliam adinvenias.

10. Liberatur si quando Vxor, si ex ieiunio reddatur ita extraordinarie pallida, macieque confecta, ut timor rationabilis sit, ne à viro minus rationabiliter ametur. Ita Sanch. d. 5. n. 24. praeceptum enim ieiunij quieto matrimonio statui, quem certo, sine debito amore, periclitari necesse est, obviare non debet.

11. Liberatur tertio si eadem uxor ita prohibeatur à viro ieiunare, ut si ieiunet, vix oriantur, & notabiles discordiae. Ita Thom. Sanch. loc. cit. num. 13. alter. Sanch. l. c. num. 26. Fag. pr. 4. Eccl. l. 1. c. 9. n. 8. quamvis peccet vir, si id sine sufficienti causa faciat; uxor tamen si obediat, non delinquet, propter rationem num. precedent. dictam.

12. Liberatur quarto uxor Catholica si prohibeatur à viro haeretico ieiunare, itaque non in contemptum Ecclesiae, vel praecepti ieiunandi, sed ob alias causas puta ob incommodum parandi cibos Quadragesimales, ob dispensationem eos emendi, vel quid simile. Ita Azor. p. 1. l. 7. cap. 18. q. 7. Fag. l. c. n. 10. Trull. l. 3. in Dec. c. 2. dub. 7. n. 22. Ratio est, eadem, vel ferè eadem, ac modo dicta.

13. Liberatur quinto (ut id hac occasione dicam) puella nubere volens, si ex continuato ieiunio Quadragesimo (nam in ieiunio emo, & altero quod incidit infra annum, & vix locum habere potest. Speciositatem faciei notabiliter amitteret. Ita Thom. Sanch. l. c. n. 12. Ratio est, quia puella honestum matrimonium aucupanti notabile damnum infert speciei deperditio; Sed quod signum tanta iactura? Quando ita colorem deperderet, maciemque contraheret, ut ea visa, statim de dicta macie extra suum morem notaretur. Haec tenet Tamburinus.

14. Vnum hic à Lectore efflagito, ut omnes conditiones, & limitationes hac in re à Tamburino dilucidè explicatas expendat, & ita, inde colligat, an ipse omnes ferè coniugatos eximat à ieiunio, & eos, quos eximit, an sine rationabili causa, & absque doctis, pilsque Authoibus immunes reddat. Expedit hic audire alium à Tamb. Is sit idem Pasqualigus, quandoquidem innumeros alios Doctores inducit Dec. 280. de ieiunio.

An coniuges excusentur, si non ieiunent, quando impediuntur, ne sibi invicem possent reddere debitum.

15. PASQUAL. Communiter affirmativè respondetur. Ita Caiet. Armill. Medin. Navar. Manuel. Ledesm. Valint. Angles Eliac. Sanch. Less. Molfes. Teler. Reginald. Fillius. Fagundes. Layman. Bassaus. Sylveus. Bonac. Graff. Ludou. Tabien. Villalob. & alij.

Hac sententia pro certa habenda est, quando tamen ieiunium impediatur, ne debitum possit reddi. Nam in hoc casu concurrunt duo praecepta, nempe praeceptum iniustitiae reddendi debitum, & praeceptum Ecclesiae de ieiunio. Tunc quia obligatio iniustitiae est strictior, & propter ius alterius praesertim obligationi virtutis, qualis est abstinentia. Tum quia Ecclesia non intendit obligare ad ieiunium, quando impediatur observantia aliorum praeceptorum, praesertim quae concernunt iniustitiam. Tum quia praeceptum reddendi debitum est naturale divinum, & ideo anteponendum

praecepto humano, quale est praeceptum ieiunij.

15. Et paulo post. Sed difficultas est, quanti coniuges censentur solutus ab obligatione ieiunandi, ut p. si reddere debitum.

Respondet, tunc esse solutum ab obligatione iniustitiae, quando non possit sine notabili debilitate reddere illud debitum, quod teneatur reddere ex iniustitia. Teneatur autem ex iniustitia reddere debitum huiusmodi, ut d. sumitur ex D. Th. in 4. dist. 32. quaest. unica à primo ad tertium, & cum pluribus notat Sanch. l. c. disp. 3. n. 5.

15. Et paulo post. Denique (ut notat Ledesm.) ex praedictis colligitur, quod uxor peccat, si se ita ieiunij ratione causa est, quia voluntarie ludit virum circa decorem sui corporis, quod ipse habet; Unde detereretur facie rem alterius in ordine ad quem ipse habet ius, & ideo peccat contra iustitiam.

CAPVT IX.

De Filio erga Patrem.

1. BARON. VIII. Officium colendi Patrem redditur filijs, si probabiliter putent, matrem coniugij fidem non admodum sancte servasse, & se ex adulterio potuisse nasci.

2. In primis id non esset patris colendi officio deservire, tunc enim iam non ut suam patrem Caius v. g. illum v. g. Titium agnosceret, sed pro suo patre agnosceret adulterum. Quare tota difficultas in eo versari debet, quandonam Caius v. g. poterit suae matris Bertracium negligere, & alium tanquam suum patrem credere? quam difficultatem mox explicabo meo Tamburinus.

3. Deinde displicet hic maxime, quod Baronius imputet Tamburino, quasi dixerit, posse Caium negare Titio marito Bertracem reverentiam filij, ex eo, quod ipse Caius potuisset, ex adulterio nasci. Profecto tantam stultitiam fuisse à quolibet indoctissimo prolatare, si Baronius mihi iuraret, fidem ei habere non possem. Nam, sic, omnes quotquot homines sunt, fueruntque, & erunt in mundo, essent probabiliter spurijs, vel illegitimis, quia omnes partim potuerunt, partim poterant, & adulterio nasci. Sed iam video, quid vult dicere Baronius: vult enim iterum subintelligi illud (probabiliter) ita ut sensus sit si probabiliter putent, matrem fidem non servasse, & se probabiliter ex adulterio nasci, potuisse, &c. Verum, nec hoc mihi sedet: nam dictum locutio fuisset, de eere (si putet se probabiliter natum esse ex adulterio.) Ita quidem. At solenne e i calumniationibus, immiscere possibile cum actuali, & sepe putat, & pronuntiare, se v. g. offensum esse ab adversario, qui ab eo offendi potuisset.

4. Venio nunc ad elucidandam veram Tamburini doctrinam. Nobile stratagemata, in his sagillatioribus educendis, latet in Baronio: Loca enim, in quibus de argumento Tamburinus tractat, religiosè tacet, nimirum ne (ut suspicor) viso loco, mendacium larvam deponere cogatur. Cum autem difficile cuiquam sit, totum librum evolvere, ut Doctrina reprehensa inveniretur, constat, haeretque finimus impostura, id autem mihi nullum fecit negotium, siquidem ope cuiusdam amici in mei praeceptoris doctrina versatissimi, huiusmodi inveniendi invenire oporteat. Facor nihilominus quoniam in loco de hoc puncto, quem pro manibus habemus, loquatur Tamburinus, fuisse difficultatem explicari, quia ne umbra quidem eius, quod illi imputat Baronius in doctrina germana Authoris apparet. Locutus autem, ubi hac de re loquitur, contrarium dicere habens, hic est, nempe lib. 1. in Decal. cap. 3. 3. ver. legitimus, sed discernendum in alio loco mox afferendo num. 10. meo.

5. TAM.